



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani**

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad  
præsens emanatis

Complectens omnia Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii - Cum  
Indicibus Decretorum, Rerum atque Verborum notabilium

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindellicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

Sequentia Decreta & Addenda inseri debent post pag. 428. Tom. II. part. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39775**

## Sequentia Decreta & Addenda

inferi debent post pag. 428. Tom. II. part. I.

347. An in Ecclesiis illarum Eremonum, quæ Titulum habent Sanctissimi Salvatoris, in feriali Officio omitti debeat in suffragiis communibus Commemoratio de Cruce, vel è converso, cum æquipolleant; vel potius facere possint utramque ad instar concessionis, per hanc S. R. C. diebus 10. Januarii 1604. & iterum 13. Junii 1684. factam Ecclesiis Titularibus B. M. V. non omittendi illius Commemorationem inter Sanctorum suffragia, licet recitatum fuerit in Choro Officium parvum. Responsum fuit, non esse omittendas Commemorationes sanctissimi Salvatoris, nec sanctæ Crucis. Die 23. Augusti 1704. *in una Camaldulen.*

348. Quæritur, an possint recitare Officia de Sanctis, quorum Reliquiæ venerantur, vel in Cappella erectæ sunt in S. Eusebio? S. R. C. respondit: Convenientes tantum in alterutra Ecclesia satisfacere, recitando Officia propria ejusdem Ecclesiæ, in qua conveniunt. Ita eadem S. R. C. 14. Martii 1643. *in una Vercellen, ad 2. dubium.*

349. Quæritur I. An Titularis Ecclesiarum dedicatarum sub Titulo S. Mariæ Angelorum, id est, B. Virginis, ut Domina & Regina Angelorum, non sit Assumptio ejusdem B. Virginis, in qua ut Domina & Regina Angelorum super omnes eorum choros exaltata est? Sin ita sit, undenam sumendum sit Officium de Beatissima Virgine sub isto titulo, & quandonam persolvendum?

II. An in Ordine Fratrum Minorum in quadam Ecclesiâ dedicata sub titulo S. Mariæ Angelorum, id est, in Memoriam miraculosæ Apparitionis Domini nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis cum ingenti multitudine Angelorum primaria

*Gayant, Rubr. Brev.*

universi hujus Ordinis, rectè persolvant Officium de hocce suo Titulari, recitando die 2. Augusti cum toto hoc Ordine Officium Dedicacionis hujusce primariæ Ecclesiæ de communi Dedicacionis cum Lectationibus propriis in secundo Nocturno de illa miraculosa Apparitione? Sicut ita videatur, undenam sumendum Officium de hocce Titulari, & quandonam celebrandum? Ad utraque Quæsitum responsum fuit: Celebrandum Festum S. Mariæ Angelorum Die Assumptionis cum Octava ejusdem. Ita S. R. C. 14. Maji 1707. *in una Parisien, ad 2. 3. dubium.*

350. Si occurrat Festum Dedicacionis propriæ Ecclesiæ & Festum S. Joann. Baptistæ, vel Festum SS. Apostolorum Petri & Pauli, an non Festum S. Joan. Bapt. vel SS. Apostol. Petri & Pauli sit celebrandum, quia in hac Diœcesi consuetudo est, quod Patroni Ecclesiæ soleant ferre Dedicacionem Ecclesiæ, & Dominica proxima post tale Festum soleat celebrari annua memoria Dedicacionis, sed si cadant talia Festa in Dominica, soleat celebrari Festum Dedicacionis, translato Festo Patroni; quæritur, an bene, & si rectè, & debeant transferri Festa Patronorum, & in tali casu, quo Festum SS. Apostolorum Petri & Pauli transfertur, an non statim sequenti die 30. Junii debeat reponi, scilicet in Festo Commemorationis S. Pauli, & Festum Commemorationis ulterius, scilicet in tertiam diem Julii transferri debeat, si Festo altioris ritus non impediatur, vel an Festum SS. Apostolorum in modo dictam diem debeat reponi? Responsum fuit: Alterius diei, ac etiam mensis pro translatione Officiorum Dedicacionis Ecclesiarum. Ita S. R. C. 6. Septemb. 1727. *in una Fulden, ad 3. dubium.*

Hhh 3

351.

351. Cum enixè ac sapius Sacra Cæsarea Majestas institerit, ut Festum S. Joachimi, perinde ac S. Annæ conjugis esset in Ecclesia universali de præcepto; S. R. C. Eminentiss. ac Reverendiss. D. Card. Gotto referente, re maturè nec semel discussa, ita denique censuit annuendum, ut, ne Festa de præcepto multiplicentur, debitus tamen honor Genitori Matris Dei non denegetur,

Festum ejusdem S. Joachimi à die 20. Martii ad Dominicam post Assumptionem B. Virginis ejus filix transferatur, in eaque sub ritu duplici majori, ut & Festum S. Annæ Conjugis sub eodem ritu deinceps celebretur. S. R. C. die 20. Septemb. 1738. approbante Clemente XII. die 3. Octobris ejusdem Anni. *Urbis & Orbis.*

### Addenda.

Pag. 298. Col. 2. Lin. 8. post Verbum *Christi.*

„Nuper verò Clemens XII. jussit celebrare hoc Festum sub ritu duplici majori in Dominica post Assumptionem Beatissimæ Virginis Mariæ. Nona Lectio erit de Homilia ejusdem Dominicæ, & Commemoratio ejus in primis & secundis Vesperis ac in Missa. Vid. Decret. in Appendice sub n. 351.

Pag. 305. Col. 2. Lin. 7. post verbum *Martyr* incipiendo à capite.

„22. Felicis à Cantalicio Confess. Ord. Min. Capuecinor. S. Francisci semiduplex pro tota Italia, & Insulis adjacentibus de præcepto à Clemente XII. die 21. Martii 1739. cum oratione & lectionibus propriis secundi Nocturni.

Pag. 308. Col. 1. Lin. 25. post verbum *utimur* incip. ab initio.

„Julianæ de Falconeriis Fundatricis tertii Ord. Servorum B. M. V. semiduplex de præcepto à Clemente XII. sub die 8. Martii 1738. cum Oratione; Hymno & Lectionibus propriis secundi Nocturni. Nona Lectio erit de SS. Gervasio & Protasio, de quibus pariter Commemoratio in primis Vesperis, Laudibus & Missa. Vid. Decret. sub n. 340.

*In margine dele verba S. Juliana Falcon.*  
Vide Decret. sub n. 340.

Pag. 314. Col. 1. Lin. 3. post Num. 1622.

„Denique à Clemente XII. elevatur hoc Festum de duplici minori ad duplex majus. Vid. Decret. in Append. sub n. 351.

Pag. 336. Col. 1. Lini. 39. post verbum *Capitulum* incip. à capite.

„15. Gertrudis Virg. & Abbat. Ord. S. Benedicti duplex de præcepto. S. R. C. die 9. Martii 1739. approbante Clemente XII. sub die 19. ejusdem Mensis & Anni: cum Oratione & Lectionibus propriis secundi Nocturni.

Pag. 337. Col. 2. Lin. 3. post verbum *leguntur* sed à capite incip.

„Joannis à Cruce Confess. Ord. Carmelit. Excalceat. semiduplex de præcepto. S. R. C. die 20. Septemb. 1738. approbante Clemente XII. sub die 3. Octobris ejusdem Anni. In Hymno mutatur tertius versus, & dicitur: *Meruit supremos laudis honores.* cum Oratione & Lectionibus propriis secundi Nocturni. Nona Lectio erit de S. Chrysgono cum ejus Commemoratione in primis Vesperis, Laudibus & Missa.

F I N I S.

INDEX